Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

ei ihs. Mulier. quid ploras? Quem queris? Illa existimans
quia ortulanus esset. dixit ei. Domine si tu sustulisti eum.
dicito michi ubi posuisti eum. et ego eum tollam. Dicit ei ihs.
Maria. Conversa illa. dicit ei. Rabboni. quod dicitur magister.
Dicit ei ihs. Noli me tangere. nondum enim ascendi ad patrem
meum. Vade autem ad fratres meos. et dic eis. Ascendo ad
patrem meum et patrem vestrum. deum meum et deum vestrum. Venit
maria magdalena. annuncians discipulis. quia vidi
dominum et hec dixit michi. Feria. vi. Petri apostoli.
Karissimi. Xpistus semel pro peccatis nostris mortuus est. iustus
pro iniustis. ut nos offerret deo. mortificatus quidem
carne. vivificatus autem spiritu. In quo et his qui in carcere e-
rant. spiritualiter veniens predicavit. qui increduli fuerant
aliquando. quando expectabant dei patientiam in diebus noe
cum fabricaretur archa. in qua pauci id est octo anime salve
facte sunt per aquam. Quod et vos nunc similis forme sal-
vos facit baptisma. non carnis positio sordium. sed conscientie
bone interrogatio in deum. per resurrectionem xpisti qui est in dextera dei.
In illo tempore. Undecim discipuli abierunt in galileam S. Matheum.
in montem ubi constituerat illis ihs. Et videntes eum adora-
verunt. quidam autem dubitaverunt. Et accedens ihs locutus
est eis dicens. Data est michi omnis potestas. in celo et in terra.
Euntes ergo docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine pa-
tris et filii. et spiritus sancti. docentes eos servare omnia quecumque
mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus
usque ad consummationem seculi. Sabbato Petri apostoli.
Karissimi. Deponentes omnem maliciam. et omnem dolum. et
simulationes. sicut modo geniti infantes. rationabiles. si-